

¶ deinde in cœlesti patria nunquam omnino deficiat. Beati enim, qui habitant in domo tua Domine, ait ipse idem in Psalm. 83. in sæcula sæculorum laudabunt te. Hoc idem clarius repetitur, & explicatur in secundo versiculo, Per singulos dies benedicam tibi, id est, perpetuo laudabo te, siue in prosperis, siue in aduersis, dum hic viuam, & postea quoque in cœlesti patria laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

III. Gimel. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.

Quatuor sunt quasi partes magnitudinis, latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum, quæ suo modo in Deo quoq; considerari possunt, iuxta illud Apost. ad Eph. 3. Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. Igitur Propheta incipit laudare Deum à magnitudine essentiae diuinæ, quæ est magna quo ad latitudinem; quia est immensa, quo ad longitudinem; quia æterna, quo ad sublimitatem; quia altissima, quo ad profunditatem, quia incomprehensibilis. vel si placet, Prophetam explicare de magnitudine Dei, ut Rex est, magnus Rex est Dominus, quo ad latitudinem, quia omnia seruiunt illi à summo Angelo usq; ad ultimum vermiculum; quo ad longitudinem, quia Regni eius æterna duratio est; quo ad sublimitatem, quia potestate summa, & absolutissima regnat; quo ad profunditatem, quia non solum corpora, sed etiam corda regit, & moderatur intimas omnium cogitationes, & affectiones, denique nihil est tam abditum, & reconditum, quo virga Regni eius non penetret. Magnus ergo Dominus, ideo laudabilis nimis, id est, valde: & magnitudinis eius non est finis, quia & latitudo infinita est, & longitudo, & sublimitas, & profundum pariter infinita sunt. Vox hebraica proprie inventionem, siue investigationem, non finem significat. Sed Septuaginta sen-

sum verterunt. Ideo enim magnitudinis Dei nulla est inuentio, quia finis eius non inuenitur, nec inueniri potest, cum non sit. Itaq; magnitudo Dei est infinita, & ideo à nobis, qui finiti sumus est omnino inuestigabilis. dicitur autem à nobis inuestigabilis, non quod ignoremus, magnū esse Dcū, & magnitudinis eius nullum esse finem, sed quia magnitudinem aliam totā non capimus, non comprehendimus. Admonet autem nos hęc magnitudo infinita Dei, vt sicut magnitudinis eius non est finis, sic etiam laudationis nullus sit finis. Ita S. Augustinus. Item, vt nos quoque non simus contenti angustiis nostris, sed quotidie magis ac magis in vera magnitudine, quæ in virtutibus posita est, crescere studeamus; iuxta illud, Psalm. 83. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum; ibunt de virtute in virtutem, & c. nam qui crescere student potentia, vel diuitiis, vt alios supergrediantur; isti non magni, sed infasti sunt; non succo pleni, sed vento distenti: aliud enim superbia, aliud animi magnitudo est. Ita S. Ioan. Chrysost.

Daleth. Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt.

Ab essentia Dei magni Regis, quæ inuestigari non potest, transit Propheta ad opera ipsius mirabilia ex quibus potentia eius intelligi potest. & non dicit, ego laudabo opera tua, sed generatio, & generatio laudabit opera tua, quasi dicat, ego solus non sufficio laudare, sed omnes generationes laudabunt opera tua, quia nunquā deerunt qui ea considerent, admirentur, & laudent. Et potentiam tuam pronunciabunt, id est, omnes generationes laudabunt opera tua, & inde potentiam tuam, quæ in illis relucet, assidue prædicabunt. In hebræo habetur ad verbum, Generatio generationi laudabit opera tua, vt in Psalmo 18. Dies diei eructat verbum, qua phrasū significatur, generationes sibi inuicem succedere, vt dicitur Ecclesiast. 1. Generatio aduenit, & generatio præterit; & sicut vñ alteri succedit

LXXX 3

quo